Man. Rivay.

ΠΟΛΕΜΟΣ,

SIVE BELLI DETE-

ſtatio, per Deſ. Eraſmum Roterodamum.



1888.1

Coloniæ excudebat Ioan. Gymnicus,
Anno M. D. XLIII.

ΕΘΝΙΚΗΣ ΚΛΗΡΟΝΟΜΙΑΣ ΒΙΒΛΙΟΘΗΚΗ

DVLCE BELLVM INEXPERTIS.



T elegans cum primis, & multorum literis celebratũ adagium est, γλυκὺς ἀπείρῳ πόλεμος, id est, Dulce bellum inexperto. Sunt quædam in rebus mortalium, quæ quantum habeant discriminis ac malorum, non intelligas, nisi facto periculo. Dulcis inexpertis cultura potentis amici, Expertus metuit. Bella res & splendida uidetur, inter aulicos obambulare proceres, in regijs uersari negocijs: at senes, quibus usu penitus cognita res est, ab ea felicitate libenter abstinent. Suaue uidetur amare puellas, sed ijs, qui nondum senserunt, quantum amori insit amari. Ad eundem item modum adcommodari poterit, ad quoduis negociũ multo cum periculo, multisq; coniunctum malis, quod nemo uelit capessere, nisi iuuenis, & rerum imperitus. Siquidem Aristoteles in Rhetoricis hanc adfert causam, cur iuuenta sit audacior, contrà senecta timidior, quòd illis imperitia rerum confidentiam pariat, his multorũ

experientia malorum, timiditatem & contationem. Quòd si quidquam est in rebus mortalium, quod contanter adgredi conueniat, imò quod oporteat modis omnibus fugere, deprecari, propellere, certè bellum est. quo non alia res uel magis impia, uel calamitosior, uel latiùs perniciosa, uel hærens tenaciùs, uel tetrior, & in totum homine indignior, ut ne dicam Christiano. At dictu mirum, quàm hodie passim, quàm temerè, quàm quauis de causa suscipitur, quàm immaniter ac barbari cè geritur, non tantùm ab Ethnicis, uerùm etiam à Christianis, nec prophanis modò, uerùm etiam à Sacerdotibus & Episcopis. nec solùm à iuuenibus & imperitis, uerùm etiam à senibus & toties expertis: nec à plebeis tantùm & uulgò natura mobili, sed potissimùm à principibus, quorum officium erat, temerarios stultę multitudinis motus, sapientia, rationeq; componere. Neq; desunt Iureconsulti ac Theologi, qui ad ista tam nefaria faces admouent, & frigidam, quod aiunt, suffundunt. Quibus rebus fit, ut nunc bellum adeò recepta res sit, ut demirentur homines, esse cui nõ placeat. Adeò probata, ut impium, ac penè dixerim hęreticum sit, improbasse rem

unam

unam omnium, ut sceleratissimam, ita miser rimam quoq;. At quantò iustius erat illud de mirari, quis malus genius, quæ pestis, quę intemperia, quæ furia, primùm in hominis mentem immiserit rem usqueadeo beluinã, ut placidum illud animal, quod natura paci beneuolẽtiæq; genuit, quod unum omnium saluti prodidit, tam ferina uesania, tam insanis tumultibus in mutuã rueret perniciem. Id quod magis etiam admirabitur, quisquis animum à uulgò receptis opinionibus, ad ipsam rerum uim & naturam perspiciendam cõuerterit, ac seorsim hinc hominis imaginẽ hinc belli simulacrum uerè philosophicis oculis aliquantisper contempletur. Primùm igitur, si quis habitum modò figuramque corporis humani consideret, an non protinus intellecturus est, naturã uel potiùs Deũ, animal hoc non bello, sed amicitiæ, non exitio, sed saluti, nõ iniuriæ, sed beneficentiæ genuisse? Nam cæterorum animantium unum quodq; suis instruxit armis. Taurorum impetus armauit cornibus, Leonum rabiem unguibus, Apris fulmineos adfixit dentes, Elephantos præter cutem & molem, promuscide q̃q; tutatus est, Crocodilum crustis uelut

laminis communiuit. Delphinis teli uice pin nas addidit. Hiſtricem ſpinis, Raiam aculeis defendit. Gallis calcar adfixit. Alia teſtis, alia corio, alia cortice communiuit. Sunt quorũ incolumitati pernicitate proſpexit, ueluti co lumbis. Sunt rurſum, quibus uenenum teli uice tribuit. Addidit his ſpeciem tetram ac beluinam, addidit oculos truces, uocis ſtri dorem. Inſeuit natiua quædam diſſidia. So lum hominem nudum produxit, imbecillẽ, tenerum, inermem, molliſſima carne, cute leui. Nihil unquam in membris, quod ad pu gnam, aut uiolentiam datum uideri poſſit: ut ne dicam interim, quòd cætera ferè ſtatim ut nata ſunt, ſibi ſufficiunt ad uitam tuendam, ſo lus homo ſic prodit, ut multo tempore totus à ſubſidio pendeat alieno. Nec fari nouit, nec ingredi, nec cibum capere: uagitu tantùm im plorat opem, ut uel hinc conijci poſſit, ſolùm hoc animal totum amicitiæ naſci, quæ mu tuis officijs & coit, & cohæret potiſſimùm. Proinde natura uoluit hominem uitæ mu nus, non tam ſibi, quàm beneuolentiæ acce ptum ferre: quô uidelicet intelligeret, ſeſe Gratijs eſſe dicatum ac neceſſitudini. Tum ſpeciem dedit nõ tetram & horridam, uti cę teris:

teris:sed mitem ac placidam,amoris ac bene uolentiæ notas præ se ferentem. Tribuit oculos amicos,& in his animi signa.Dedit brachiorum sinus ad complexum.Dedit osculi sensum,quo ceu copularentur, & sese continerent animi. Vni risum attribuit,alacritatis indicium.Vni lachrymas,clementiæ & misericordiæ symbolum. Quin & uocem dedit non minacem & horrēdam,sicuti beluis,sed amicam & blandam.Nec his contenta natura, sermonis & rationis usum uni tribuit.quę quidem res ad parandam & alendam beneuolentiam in primis ualet, ne quid omnino peruim inter homines gereret. Inseuit odiū solitudinis,amorem sodalitatis. Indidit penitus beneuolentiæ semina.Fecit ut quod est saluberrimum,idem sit & suauissimum. Quid enim amico iucūdius? Aut rursum,qd æquè necessarium? Proinde si maximè liceret absque mutuo commercio commodè uitā agere, nihil tamen iucundum uideri possit absq; socio, nisi si quis prorsus hominem exuerit, & in feram degenerarit. Addidit insuper liberalium disciplinarum studium &cognitionis ardorem.quæ res ut potissimùm abducit hominis ingenium ab omni feritate : ita ad

conciliandas neceſſitudines prȩcipuam uim habet. Siquidem nec adfinitas, nec ſanguinis propinquitas arctioribus aut firmioribus amicitiæ uinculis adſtringit animos, quàm ſocietas honeſtorum ſtudiorum. Super hæc admirabili quadam uarietate, dotes tum animorum, tum corporum inter mortales partita eſt: nimirum, ut ſinguli in ſingulis inuenirent, quod uel amarent, ac ſuſpicerent ob excellentiam, uel ob uſum & neceſſitatem ambirent & amplecterentur. Deniq; indidit diuinæ mentis ſcintillulam, ut nullo etiã oſtenſo prȩmio, tamen per ſe iuuet benemereri de omnibus. Id enim Deo maximè proprium, ac naturale, ſuo beneficio conſulere uniuerſis. Alioqui quid illud eſt, quòd haud uulgarem animo ſentimus uoluptatem, ubi quempiam per nos ſeruatum intelligimus? Proinde Deus in hoc mundo uelut ſimulachrum quoddam ſui conſtituit hominem, ut ceu terrenum quoddam numen, ſaluti proſpiceret omnium. Sentiunt hoc etiam ipſa bruta, cùm uideamus nõ mitia ſolùm, uerùm etiam pardos & leones, & his immitiores beſtias in magnis periculis ad hominis opem confugere. Hoc extremum omnibus aſylum. Hæc

ara

ara est sanctissima uniuersis. Hæc nulli non sacra est ancora. Hominis effigiem utcunq; depinximus: nunc belli simulachrum ex aduerso cum hac, si uidetur, componamus. Iam igitur uidere te puta barbaras cohortes, ipso uultu sonoq; uocis horrendas, hinc atq; hinc instructas ferratas acies, formidabilem armorum strepitum, simul & fulgorem, inamabilem tantę multitudinis fremitum, oculos minaces, rauca cornua, terrificum taratantaræ cantum, bombardarum tonitrua, non minùs formidolosa ueris, sed magis noxia: clamorem insanum, concursum furiosum, immanem laniationem, cadentium & occidētium crudeles uices, congestas strages, undantes cruore campos, fluuios humano tinctos sanguine. Fit interea nonnunquam, ut frater incidat in fratrem, adfinis in adfinem, amicus in amicum, & communi furore iam debacchāte, in eius uiscera stringat ferrū, à quo ne uerbo quidem unquam fuerat læsus. Deniq; tantum malorum habet illa tragœdia, ut à commemoratione quoq; pectus humanum abhorreat. Vt interim non referam, illa uulgaria præ his, leuia'que, protritas passim segetes, exustas uillas, incensos pagos, abacta

pecora, constupratas uirgines, tractos in captiuitatem senes, direpta phana, latrocinijs, prædationibus, uiolentia, plena confusaque omnia. Vtq; taceam illa, quæ feliciſſimũ etiã ac iuſtiſſimum bellum conſequi ſolent: expilatam plebem, oneratos proceres, tot ſenes orbos, & ſimul in cæde liberorum occiſos, tot anus deſtitutas, & crudeliùs quàm ferro peremptas, tot matronas uiduas, tot liberos orphanos, tot domos funeſtas, tot opulẽtos ad inopiam redactos. Nam de morum pernicie quid attinet loqui, quum nemo neſciat uniuerſam uitæ peſtem, ſemel è bello proficiſci? Hinc pietatis contemptus, hinc legum neglectus, hinc ad quiduis audendum ſceleris promptus animus. Hoc fonte nobis tam ingens latronum, raptorum, ſacrilegorũ, percuſſorum turba ſcatet: &, quod eſt omnium grauiſſimum, hęc tam exitialis peſtilẽtia neſcit ſe ſuis continere ſpacijs. Sed in uno quopiam angulo nata, non ſolùm finitimas regiones ueluti contagio peruadit: uerùm etiã procul ſemotas, uel mercede, uel per adfinitatis, aut fœderis occaſionem, in communẽ tumultum ac rerum tempeſtatem pertrahit. Quinetiam bellum è bello ſeritur, è ſimulato

uerum,

uerum, è pusillo maximũ exoritur. neq; rarò solet in his accidere, quod de Lerneo mõstro fabulis proditum est. Hisce de causis opinor, ueteres illi poëtæ, qui rerum uim ac naturam & sagacissimè perspexerunt, & aptissimis figmentis adumbrarunt, tradiderũt bellum ab inferis immitti, idq; furiarum ministerio, neq; quamlibet furiam ad hoc negocij conficiendum esse idoneam. Deligitur omnium pestilẽtissima, cui nomina mille, mille nocendi artes. Hæc innumeris armata colubris, tartarea buccina præcinit. Pan insano tumultu complet uniuersa. Bellona furiosum quatit flagellum. Furor impius, ruptis omnibus uinculorũ nodis, euolat horridus ore cruento. Neq; non uiderunt hæc Grammatici, quorum alij bellum κατ' αντίφρασιν dictum uolunt, quòd nihil habeat neq; bonũ, neq; bellum: nec alia ratione bellum esse bellum, quàm Furiæ Eumenides. Alij uolunt à belua deductum, quòd beluarum sit, nõ hominum, in mutuum exitium congredi. At mihi sanè plusquam ferinum, plusquam beluinum esse uidetur, armis confligere. Primùm enim pleraq; brutorum animãtium in suo quodq; genere concorditer & ciuiliter degunt,

degunt, gregatim incedunt, ope mutua sese tuentur. Ne feræ quidem omnes dimicant. Sunt enim & innoxiæ, sicut damæ & lepores, sed omnium efferatissimę, ueluti leones, lupi, tigrides. Quanquam nec hæ belligerantur inter se, quemadmodum nos. Canis cani nam non est. Leonum inter se feritas non dimicat. Draconi cum dracone pax est. Inter uenena conuenit. At homini nulla fera perniciosior, quàm homo. Rursum illæ cùm pugnant, suis pugnant armis, nos præter naturam arte cacodæmonum excogitatis, instruimur homines in hominum perniciem. Nec illę quibuslibet de causis sæuiunt, uerùm ubi uel fames stimulat in rabiem, uel se peti sentiunt, uel fœtui suo timẽt. Nos Deum immortalem, quàm friuolis de causis, quas bellorũ tragœdias excitamus? Ob inanissimos titulos, ob puerilem iram, ob mulierculã interceptã, ob causas his q̃q̃ multò magis ridiculas. Ad hæc inter feras uni cum una bellũ est, id q̃q̃ perbreue. Et ut cruentissima pugna sit, una aut altera uulnerata discedit. Quãdo auditum est id, quod passim faciunt homines, centum milia beluarum mutuo laniatu concidisse? Adde, quòd ut feris quibusdã naturale

turale dissidium est cum alijs diuersi generis, ita rursum habent, cum quibus genuina firmaq; cohærent amicitia. At homini cum homine, & cuilibet cum quolibet iugis pugna est, nec ullum satis firmum fœdus inter ullos mortalium. Adeò quidquid à sua degenerauit natura, in peiorem degenerat speciem, q̃ si natura malitiã ingenuisset. Vis scire quàm ferina, quàm fœda, quàm non digna homine res sit bellum? Spectasti ne aliquando leonem cum urso commissum? Qui rictus, qui rugitus, qui fremitus, quæ immanitas, quę furia? Inhorrescit, qui spectat etiam in tuto. At quanto fœdius spectaculum, quanto immanius, uidere hominem cum homine tot armis, tot telis instructum confligere? Quęso te, quis homines crederet, nisi consuetudo mali sustulisset admirationem? Ardent oculi, pallent ora, furorẽ præfert incessus, frendet uox, clamor insanus, totus homo ferreus est, crepãt arma, fulminãt bombardę. Mitius erat si cibi causa homo hominẽ deuoraret, si sanguinem hauriret: quanq̃ huc q̃q; uentũ est à quibusdã, ut id odij gratia faciãt, q̃d excusati9 faceret usus aut necessitas. At nũc idem fit crudelius telis ueneno tinctis, tartareis machinis

nis. Nullum usq; hoīs uestigiū. An credis hic ipsam naturā agniturā, q̄d condidit? Et si qs admoneat, an non meritò huiusmodi uerbis sit admiratura? Quod nouū spectaculū ego uideo? Quis tartarus hoc nobis portentū ēdidit? Sunt, qui me nouercam appellant, quòd in tam immensa rerum summa, uenena quę-dam genuerim, quanq̄ & hæc in hominis commodum cessura, quòd aliquod animantia parum mitia finxerim, etiam si nulla fera tam immitis est, quin arte & officijs possit securari. Hominis cura mansuescunt leones, miteſcunt dracones, seruiunt ursi. Quæ tandem est ista plusquam nouerca, quæ nouam hanc beluam totius mundi pestem nobis dedit? Vnum animal totum génui beneuolentiæ, placidum, amicum, salutare. Quid accidit, quòd in huiusmodi feram degenerarit? Nihil agnosco hominis illius, quem finxi. Quis malus genius uiciauit opus meum? quę saga mentem humanam excantauit & incantauit beluinam? quæ Circe natiuam uertit formam? Iuberem ut ad speculum sese contemplaretur infelix, sed quid cernant oculi, cùm mens absit? Tamen aspice teipsum, si potes, furiose bellator, si quo pacto contingat resipiscere.

scere? Vnde tibi minax crista uerticis? unde fulgens galea? unde ferrea cornua? unde pinnati cubiti? unde squamæ? unde dentes ærei? unde laminæ? unde tela lætifera? unde uox pluſquam ferina? unde uultus iſte pluſquam beluinus? unde tonitru & fulmen, ipſo Iouis fulmine, tum formidabilius, tum nocentius? Ego te diuinum quoddã animal finxi, quid uenit in mentem, ut teipſum in tam immanẽ beluam transformares, ut nulla iam belua futura ſit belua, ſi cum homine componatur? Hæc atq; id genus alia permulta diceret, opinor, architectrix illa rerum natura. Proinde quum ſic conditus ſit homo, quemadmodũ oſtenſum eſt, quum huiuſmodi res ſit bellum, quemadmodum nimiùm crebrò ſentimus, haud mediocriter admirãdum uidetur, quis Deus, qui morbus, aut qui caſus, primũ in humanum pectus immiſerit, ut lætale ferrum in hominis ſtringeret uiſcera? Multis gradibus ad tam inſignẽ ueſaniam uentum ſit oportet. Nemo ſiquidem repentè fuit turpiſſimus, ut inquit poëta Satyricus. Semperque malorum maxima, ſub umbra ac ſpecie boni ſubrepſerũt in uitam hominum. Olim igitur cùm rudes illi priſciq; mortales, nudi,

ſine

sine mœnibus, absq; tecto uitam in syluis age rent, euenit aliquoties, ut à feris ac beluis offenderentur. Cum his igitur primùm homini bellum susceptum est, & uir fortis habeba tur, ac dux, qui ferarum uim ab hominũ genere depulisset. Quin & æquissimum uidebatur iugulare iugulantes, trucidare trucidãtes, præsertim cùm nulla lacessitæ iniuria, ultro nos impeterent. Ea res quum summæ laudi duceretur, hinc enim Deus factus est Hercules, cœpit animosa iuuentus passim uenari bestias, exuuium ceu trophæum ostentare. Deinde non contẽti iugulasse, pellibus illarum sese munierunt aduersùs rigorem hyemis. Hæc erãt prima homicidia, hæc spolia. Post hæc longiùs progressi, rem ausi sunt, quam Pythagoras uehementer impiam arbitratus est, & nobis poterat prodigiosa uideri, nisi uetaret consuetudo, quæ tantam ubique uim habet, ut apud nationes quasdam pium fuerit habitum, parentem grandæum, plagis obrutum in fossam depellere, & eripere uitam illi, per quem uitæ munus contigerat: sanctum haberetur carnibus adfinium amicorum uesci: pulchrum existimaretur, uirginem in Veneris phano prostare populo: multaq; ijs ab

surdiora

ſurdiora, quæ ſi quis nunc referat tantùm, ne mo nõ ſit abominaturus. Adeò nihil eſt tam ſceleroſum, nihil tam atrox, quod & nõ pro betur, ſi id commẽdet aſſuetudo. Ergò quod auſi ſunt facinus? Non ueriti ſunt ueſci feras extinctarum cadaueribus, dentibus laniare carnem exanimem, haurire ſanguinem, exu gere ſaniem, & uiſcera, ut ait Ouidius, in ui-ſcera condere. Id facinus, tametſi mitioribus ingenijs tam immane uideretur: tamen com mẽdauit uſus & commoditas. Placuit & in de licijs cadaueris ſpecies. Carnes inſepeliuntur cruſtis, condiunt aromatibus, inſcribitur titu lus, Hic ſitus eſt aper, hîc ſepult⁹ eſt urſus. O cadaueroſas uoluptates. Proceſſum eſt lon-giùs. A noxijs feris itum eſt ad pecudes inno xias, ſæuitum eſt paſſim in oues, animal ſine fraude doloq̃, ſæuitũ eſt in leporem, nõ ob aliud crimẽ, niſi q⁹ eſculẽtus eſſet. Nec tempe ratum eſt à boue domeſtico, qui ſuo ſudore diu familiam aluerat ingratã. Nulli uolucrũ, nulli piſciũ generi parcitũ eſt, & eò proceſſit gulæ tyrannis, ut nullũ animal uſquã tutum eſſet ab hoîs crudelitate. Verùm hoc q̃q; per ſuaſit conſuetudo, ut ſçuitia non uideretur in ullum animantis genus, modò ab hominis

cęde temperaret. Sed in nobis fortasse situm est, uicia quemadmodũ mare nõ admittere: uerùm ut admisso limitẽ pręscribamus, id nõ est cuiq; in manu. Semel receptum utrumuis, haud nostro ducit arbitrio, sed suo fertur impetu. Posteaq; his rudimẽtis essent ad cędem exercitati, persuasit ira, ut homo hominẽ fuste, saxoue, aut pugno peteret. Siquidẽ ijs adhuc armis tum pugnabat opinor, & iam occidendis pecudibus didicerant, hominem q̃q; minimo negocio posse perimi. Verùm ista crudelitas diu constitit intrà monomachias: uni⁹ iactura bellũ dirimebat, nõnunq; uterq; cadebat, sed uterq; uita indignus. Ad hęc nõnullã ęqui speciẽ habebat, sustuliss̃e inimicũ: laudi q̃q; cœptũ est dari, si qs uiolentũ & pestilentẽ hoiem, cuiusmodi ferũt fuisse Cacũ & Busyridẽ, confeciss̃et, orbẽq; monstris isti usmodi liberasset. Siquidẽ uidemus hos etiã titulos in Herculis extare laudib⁹. Deinde cõcursum est à pluribus, ut quosq; uel adfinitas, uel uicinia, uel necessitudo coniũxerat. Et q̃d nunc latrociniũ est, tum bellũ erat. Saxis & fustibus pręustis, etiãnum res gerebat. Riuulus occurrẽs, aut rupes, aut simile quippiã obuiũ, prælia dirimebat. Interea dum crescit usu feritas,

ritas, dũ glisciũt iræ, dum magis ardescit ambitio, furorẽ suũ armant ingenio. Excogitant arma qualiacũq;, qbus se cõmunirent, & excogitant tela, qbus hostẽ perderent. Iam passim, iam frequẽtiore manu, iam armati confligtari cœperũt. Nec huic manifesto furori suus defuit honos. Bellũ appellarunt, & uirtutẽ esse uoluerũt, si qs sui capitis periculo uim hostium, à liberis, ab uxore, à pecore, à domesticis latebris ꝑpelleret. Atq; ita paulatim unà cũ rerũ cultu crescente militia, bellũ indicere cœpit ciuitas ciuitati, regio regioni, regnũ regno. Quanq̃ in re per se crudelissima, tamen remanebãt adhuc humanitatis pristinę uestigia. Repetebant res per fecialẽ, citabãtur testes superi, uelitatione præludebat ad pugnã. Telis uulgarib? & uirtute, nõ dolo res agebatur. Nefas erat ferire hostẽ nisi signo dato: nõ licebat pugnare, ubi receptui cecinisset imperator. Deniq; uirtutis & glorię certamẽ erat, magis q̃ occidẽdi cupiditas. Necdũ arma mouebantur, nisi in exteros, quos ob id hostes, uelut hospites appellabãt. Hinc nata sunt imperia, quoꝝ nullum unq̃ fuit in ulla natione, q̃d nõ fuerit multo generis humani sanguine paratum. Deinceps assiduæ bellorum uices,

dum uicissim alius alium ab imperio depellit, & sibi uindicat. Post hæc quum imperia quoq; ad sceleratissimos deuenissent, iam in quoslibet pro libidine mota sunt arma, neq; malè meriti, sed bene fortunati, cœperũt maximè belli periculis esse obnoxij, & iam prę lij scopus, non laus esse, sed sordidũ lucrum, aut hoc etiam sceleratius aliquid. Non dubito, quin hæc prospexerit sapientissimus ille Pythagoras, cùm philosophico commento multitudinem hominũ imperitam à laniandis pecudibus deterreret. Videbat futurum, ut qui nulla lacessitus iniuria, pecudis innoxiæ sanguinem fundere consueuisset, idem commotus ira, & iniuria prouocatus, non metueret hominem interimere. Porrò bellũ quid aliud est, quàm multorum commune homicidium & latrocinium? hòc sceleratius, quò latiùs patens. Sed ridentur hæc ceu deliramenta scholasticorũ à crassis proceribus nostri temporis. qui cùm præter figuram nihil habeant hominis, tamẽ ipsi sibi planè Dij uidẽtur. Et tamen ab ijs inijs, huc uidemus esse peruentũ insaniæ, ut tota uita nihil aliud agatur. Belligeramur assiduè, gens cum gente colliditur, regnũ cum regno, ciuitas cum

ciuitate,

ciuitate, princeps cũ principe, populus cum populo, & quod Ethnici quoq; fatentur impium, adfinis cum adfini, cognatus cum cognato, frater cum fratre, filius cum patre. Denique quod ego sanè puto his oĩbus atrocius, Christianus cum homine: addam inuitus quod est atrociſſimũ, Christianus cum Christiano. Et ô cæcitatem mentis humanæ, hæc nemo miratur, nemo detestatur. Sunt qui applaudant, qui uehant laudibus, qui rem plusq̃ tartaream, sanctam appellẽt, ac principes ultro furiẽtes instigant, oleum, quod aiunt, addentes camino. Alius è sacro suggestu promittit omnium admissorum condonationẽ, qui sub eius principis signis pugnarint. Alius clamat, inuictiſſime princeps, tu modò serua mentem istam religioni fauentem, Deus pugnabit pro te: alius promittit certam uictoriam, prophetarũ uoces ad rem impiam detorquens, interpretans illa, Non timebis à timore nocturno, à sagitta uolante in die, à dæmonio meridiano: &, Cadent à latere tuo mille, & decem milia à dextris tuis: &, Super aspidem & basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem & draconem. Denique totus hic mysticus psalmus ad res prophanas, ad hos

& illos principes detorquebatur. Nec deerãt utriq; parti tales prophetæ, nec deerant talibus prophetis applausores. Tam bellaces audiuimus conciones monachorum, theologorum, episcoporum. Itaq; bellatur à decrepitis, bellatur à sacerdotibus, bellatur à monachis, & cum re tam diabolica Christũ miscemus. Concurrunt acies utrinq; crucis insigne prę ferentes, q̃uel ipsa poterat admonere, quo pacto cõueniat uincere Christianos. A sacro illo cœlesti, quo perfecta illa & ineffabilis Christianorum coniunctio repræsentatur, curritur ad mutuam cædem, & rei tam impiæ Christum facimus & spectatorem, & authorem. Vbi nam diaboli regnum est, si in bello non est? Cur huc pertrahimus Christum, cui citius cum quouis lupanari conueniat, quàm cum bello? Indignatur Paulus Apostolus, ullam esse controuersiam inter Christianos, ut iudex sit adeundus, qui litem dirimat. Quid si conspiceret nos in toto orbe belligerantes, & quamlibet leui de causa, immanius quàm ulli bellarint Ethnici, crudeliùs quàm ulli barbari? id q; fieri authoribus, hortatoribus, adiutoribus his, qui pacificum illum, & omnia conglutinantem pontifi

cem

ficem repræsentant, quiq; pacis omine salu-
rant populum? Neq; me clàm est, quid iam-
dudum mihi reclament Cares isti, quorum
messis est è malis publicis. Bellũ suscipimus
inuiti, aliorum coacti malefactis. Ius nostrũ
persequimur. Quidquid malorum habet bel
lum, illis feratur acceptum, qui belli dedére
causas. Sed quiescãt interim paulisper, & ho
rum causationes suo loco refellemus, ac fu-
cum hunc, quo morbum nostrum prætexi-
mus, detrahemus. Iam sicut hominem cum
bello, hoc est animal placidissimum, cum re
longè immanissima composuimus, quô ma-
gis perspicua fieret atrocitas: sic bellum cum
pace, rem miserrimam pariter ac sceleratissi-
mam, cũ re felicissima simul & optima com
paremus, atq; ita demum apparebit, quantæ
dementiæ sit, tanto tumultu, tantis laborib⁹,
tanto sumptu, tanto discrimine, tot calamita
tibus adfectare bellum, cùm multò minoris
emi possit concordia. Principio quid in rerũ
natura dulcius, aut melius amicitia? Nihil
profectò. Atqui quid aliud est pax, q̃ multo-
rum inter ipsos amicitia? Sicuti contrà, bel-
lum nihil aliud est, quàm plurium simultas.
Bonorum autem ea ratio est, ut quô latiùs pa

teant, hòc plus adferunt commoditatis. Proinde cùm unius cum uno necessitudo, res sit adeò suauis & salutaris, quàm ingens erit felicitas, si regnum cum regno, si natio cum natione necessitudinis uinculo copuletur? E diuersò, malarum rerum ea est natura, ut quò latiùs manarint, hòc magis sint suo dignæ uocabulo. Itaq; si miserum, si sceleratum est, hominem cum homine ferro congredi, quātò calamitosius, quantoq; sceleratius est, idem à tot hominū milibus fieri? Concordia res paruæ crescunt, discordia dilabuntur & magnę. Pax omnium bonarum rerum & parens est & nutrix. Bellum repentè semelq; quidquid est lætum, quidquid est pulchrum, obruit, extinguit, abolet, omniumq; malorum Lernā quandam in uitam mortalium effundit. Pacis tempore, non secus, ac si nouum quoddā uer rebus humanis adfulserit, coluntur agri, uernant horti, pascuntur lætæ pecudes, ædificantur uillæ, extruuntur oppida, instaurātur collapsa, ornantur & augentur extructa, crescunt opes, aluntur uoluptates, uigent lēges, floret Reipublicę disciplina, feruet religio, ualet æquitas, pollet humanitas, calēt artes opificum, uberior est quæstus pauperum, splendi

dior

dior opulentia diuitum. Efflorescunt honestissimarum disciplinarum studia, eruditur iuuentus, tranquillo fruuntur ocio senes, bonis auspicijs nubunt uirgines. Laudantur simili prole puerperæ, florent boni, minùs peccant mali? At simul atq; belli sæua tempestas ingruerit, Deum immortalem, quàm ingens malorum pelagus occupat, inundat, obruit uniuersa. Abiguntur armenta, proteruntur segetes, trucidantur agricolæ, exuruntur uillæ, tot seculis extructæ florentissimæ ciuitates, una procella subuertuntur. Adeò procliuiùs est lædere, quàm benefacere. Ciuium opes ad execrãdos latrones ac sicarios transferuntur, mœrent domus metu, luctu, & querimonijs, lamentis complentur omnia. Frigent artes opificum, pauperibus aut ieiunandum, aut ad impias confugiendum artes. Diuites aut ereptas deplorant facultates, aut timent relictis, utroq; modo miserrimi. Virginum aut nullæ, aut tristes & funestæ nuptiæ. Desolatæ matronæ domi sterilescunt, silent lẽges, ridetur humanitas, nullum habet locũ æquitas: religio ludibrio est. sacri & prophani nullum omnino discrimen. Corrumpitur omni uiciorum genere iuuentus, damnant

longæuitatem suam luctuosi senes. Nullus nus honos honestis literarũ studijs. In summa, plus malorum sentimus in bello, quàm ullius sermo possit adsequi, nedum meus. Fortè tolerari poterat, si bella calamitosos modò nos facerent, non etiã nocentes & impios: si pax feliciores tantùm redderet, non meliores quoq;. Impius autem est, quisquis bellum accersit. Nimium heu nimium malorum erat, quibus assiduè uelit nolit, uexatur, atteritur, absorbetur ęrumnosa mortalitas. Ante bis mille ferme annos trecenta morborum nomina medicis sunt animaduersa, prę ter species, iam & quotidie subnascentes nouos, & senectutem ipsam, morbum immedicabilem. Legimus alibi totas urbes terræ quassatione subrutas, alibi conflagrasse fulmine, alibi solidas etiam hiatu terrarum absorptas regiones, oppida suffossione cuniculorum corruisse, ut ne commemorem, quam tam hominum multitudinem iam ob assuetudinem contempti casus absumant, exundatio maris & fluminũ, ruinæ montium & ædificiorum, uenena, lapsus, feræ, cibus, potus, somnus. Alium haustus in potu lactis pilus, alium acinum uuæ, alium os piscis inhęrens

guttu-

gutturi præfocauit. Sunt quos subitum exanimarit gaudium, nam de uehementi dolore minùs est mirum. Adde nunc fatales pestilẽtias, non rarò passim sæuientes. Nulla pars orbis est, unde non immineat periculum humanæ uitæ, alioqui per se quoq; fugacissimę. Tantum undiq; malorum obturbat, ut non sine causa Homerus, hominem animantium miserrimum pronunciauerit. Verùm hæc mala, quoniam nec uitari facilè possunt, nec nostro accidunt uicio, calamitosos tantùm faciunt, nõ item facinorosos. Quid iuuat tam innumeris obnoxios calamitatibus, ultro sibi malum, perinde quasi desit, accersere? Et accersere non quoduis malum, sed malum omnium multò deterrimum: tam perniciosum, ut unum uincat omnia, tam fœcũdum, ut unum in se complectatur uniuersa, tam pestilens, ut non minùs impios efficiat, q̃ grumnosos, ut miserrimos reddat, nec tamẽ miserãdos, nisi hos, qui minimè uolunt, & maximè sentiunt? Adijce iam his omnibus, q̃d pacis commoda latissimè sese diffundunt, & ad plurimos pertinent. In bello si quid feliciter cecidit, quanquam, ô superi, quid hîc potest dici felix, id ad paucos pertinet, & eos indignos.

dignos. Alterius salus, alterius est exitium; alterius opes, alterius sunt spolia: huius triũphus, illius est luctus: ut acerba sit infelicitas, immanis & cruenta felicitas. Quanquam plerunq; fit, ut iuxta Cadmeam, quam uocant uictoriam, utraq; pars ploret. Et haud scio, an unquam bellum adeò cesserit feliciter, ut cordatum uictorẽ susceptι nõ pœnituerit. Ergò cùm pax sit res omnium tum optima, tum iucundissima: bellum contrà res omnium miserrima, simul & sceleratissima: num hos sanæ mentis arbitrabimur, qui cùm illam mediocri negocio parare queant, hoc malint summis etiam difficultatibus accersere? Primùm quàm insuauis res primus ille belli rumor, deinde quantum inuidiæ subeundum principi, dum crebris decimationibus expilat suos? Quantum negocij in adiungendis aut retinendis auxilijs, quantum in accersendis barbaricis cohortibus & mercenario milite? Quantum impendij simul & curarum in apparandis classibus, in extruendis aut sarciendis arcibus & præsidijs, in adornandis tentorijs, in fabricãdis & comportandis machinis, armis, telis, sarcinis, uehiculis, commeatu? Quantum laboris exhauriendum, in compingen-

pingendis uallis, in euacuandis fossis, in suffodiendis cuniculis, in excubijs, in stationibus, in exercitamentis? Omitto iam metus, omitto pericula. Quid enim non metuendũ in bello? Quis enumerare ualeat incommoda uitæ, quæ stultissimi milites in castris perferunt, & ob id maioribus digni, quòd sponte perferant? Victum, quem bos quoq; fastidiat Cyprius, cubile quod aspernetur scarabeus, somnos raros, nec hos tuo datos arbitrio. Tentorium undiq; uentis peruium, ac ne tentorium quidem. Durandum sub dio, cubitandum humi, standum in armis, ferẽda inedia, frigus, æstus, puluis, imber: seruiendũ ducibus, uapulandum ferulis: quandoquidẽ nulla est ullius mancipij seruitus indignior, quàm militum. Ad hæc ad triste signum eundum in mortem, ut aut occidas immaniter, aut cadas infeliciter. Tantum malorum suscipitur, ut ad rem omnium miserrimam liceat peruenire. Tam immẽsis malis nosipsos prius adfligimus, ut alios possimus adfligere. Quòd si uelimus rem ad calculum uocare, et ueris rationibus expendere, quanti bellum constet, quanti pax: profectò comperiemus hanc uel decima parte curarum, laborũ, moleſtia

Ieſtiarum, periculorum, ſumptuum, denique ſanguinis poſſe comparari, quibus bellum accerſitur. Tantam hominum turbam educis in periculum, ut oppidum aliquod euertas: at horum opera, uel citra periculum, aliud extrui poterat multò præclarius oppidũ. Sed nocere uis hoſti. Iam hocipſum inhumanum. Attamen illud expende, num illi nocere non poſſis, niſi priùs noceas tuis. Et furioſi uidetur hominis, tantum certi mali ſumere, cùm incertum ſit, quò ſit alea belli caſura. Verum eſto, rapuerit ad hanc ueſaniã ethnicos, uel ſtultitia, uel ira, uel abominatio, uel auaritia, uel immanitas, ſiue quod magis arbitror, ab inferis immiſſæ furiæ, unde hoc nobis in mentem uenit, ut Chriſtianus in Chriſtianum cruentum ſtringat ferrum? Parricidium uocatur, ſi frater occidat fratrẽ. At Chriſtianus coniunctior Chriſtiano, quàm ullus germanus germano: niſi firmiora ſunt naturæ uincula, quàm Chriſti. Quàm abſurdum eſt, eos penè continenter inter ſe belligerare, quos una domus habet Eccleſia, qui eiuſdẽ corporis membra communi capite gloriantur, nempe Chriſto: communem habent patrem in cœlis, communi uegetantur ſpiritu,

ijſdem initiati ſunt myſterijs, eodem redem
pti ſanguine, eodem renati fonte, ijſdem alun
tur ſacramentis, eidem militant imperatori,
eodem ueſcunꝫ pane, eiuſdē participes ſunt
calicis: communem habent hoſtem diabo-
lum: poſtremò ad eandē omnes uocati ſunt
hæreditatem. Vbi ſunt tam multa perfectæ
concordiæ ſacramenta? ubi tam innumera
pacis documenta? Vnum præceptum Chri-
ſtus appellauit ſuum, nempe charitatis. Cum
hac quid æquè pugnat atq; bellum? Felici pa
cis omine ſalutat ſuos. Diſcipulis præter pa-
cem nihil donat, præter pacem nihil relinqt.
In ſacris illis precibus illud præcipuè patrē
orat, ut quemadmodum ipſe idem erat cum
eo, ita & ſui, hoc eſt, Chriſtiani, idem eſſent
ſecum. Iam plus audis, quàm pacem, plus q̄
amicitiam, plus quàm concordiam. Chriſti
typum habebat Solomon, quod Hebræis pa
cificum ſonat, ab hoc ſibi templum extrui uo
luit. Dauid alioqui diuerſis uirtutibus egre-
giè clarum, tamen hoc elogio ſubmouit ab
extructione templi, quòd ſanguinarius eſſet.
Et tamen is authore Deo bella fera geſſit ad
uerſùs impios, atq; id ſanè eo ſeculo, quo nō-
dum docuerat ille Moſaicæ legis abſolutor,

etiam

etiam inimicos esse diligendos. Nato Christo, non bellum, neq; triumphos, sed pacem canunt angeli. De nondum nato præcinuit uates ille mysticus: Et factus est in pace locus eius. Vniuersam illius doctrinam excute, nihil usquam reperies, quod nõ spiret pacem, quod non sonet amicitiam, quod non sapiat charitatem. Et quoniam intelligebat pacem aliter nõ posse constare, nisi penitus contemptis his, pro quibus mundus hîc digladiatur, iussit ut ab ipso discceremus esse mites. Beatos uocauit, qui diuitias & harum filiam Superbiam pro nihilo ducerent: nam hos uocat pauperes spiritu: beatos, q uoluptates huius mundi spernerent, quos lugentes appellat, qui se paterentur suis exturbari possessionibus, scientes hîc nihil aliud esse, quàm exilium, ueram patriam, ueram possessionem in cœlo sitam esse pijs. Beatos, qui benemerentes de omnibus, impunè & malè audirẽt, & malis afficerentur. Vetuit, ne quis malo resisteret. Breuiter, ut omnis illius doctrina, tolerantiam & amorem præcipit: ita tota uita nihil aliud docet, quàm mansuetudinem. Sic ille regnauit, sic bellauit, sic uicit, sic triumphauit. Nec aliud inculcant Apostoli, qui pu

rum

rum adhuc Christi spiritum imbiberant, & musto illo feliciter erãt temulenti. Quid undiq; sonant omnes Pauli literæ, nisi pacem, nisi lenitatem, nisi charitatem? Quid Ioannes loquitur, quid iterat, nisi dilectionem? Quid aliud Petrus? quid aliud omnes uerè Christiani scriptores? Vnde tantus bellorum tumultus inter filios pacis? An fabula est, q̃d Christus se uitem appellat, suos palmites? Quis unquam uidit palmitem pugnare cum palmite? An uanum est, quod non semel scripsit Paulus, Ecclesiam nihil aliud esse, quàm unum corpus, è diuersis membris connexũ, adhærens uni capiti Christo? Quis uidit oculum pugnare cum manu, aut uentrem cum pede? In hoc uniuerso rerum omnium tam dissimilium, harmonia est. In animalis corpore, pax est membro cum membro: quod quæq; pars dotis habet, non uni sibi habet, sed in commune omnibus. Si quid accidit unicuilibet, opitulatur uniuersum corpus. An plus potest in peritur,o corpore naturæ connexio, quàm in mystico & immortali, copula spiritus? An frustrà precamur illud ex præscripto Christi, Fiat uoluntas tua, quemadmodum in cœlo, sic & in terra? In illa ciui

tate ſumma concordia eſt. At Chriſtus nihil aliud eſſe uoluit ſuam eccleſiam, quàm cœleſtem quendã populum in terris ad illius imaginem, quoad fieri poteſt, uiuentem, illò properantem, ab illa pendentem. Age, finge iam mihi nunc nouum aliquem hoſpitem, uel è lunaribus illis ciuitatibus, quas inhabitat Empedocles, uel ex uno quopiam mundo eorũ, quos innumerabiles fabricatus eſt Democritus, in hunc noſtrum ueniſſe, quid rerũ agatur cupientem cognoſcere. Cumq; de ſingulis edoctus, audierit eſſe unum quoddam animal, mirè commixtum ex corpore, quod cum brutis habeat commune, ex animo, quo diuinæ mentis referat imaginem: id adeò eſſe generoſum, ut quanquam hic exulet, tamen cæteris omnibus imperet animãtibus, quòd ob cœleſtem originem ſemper ad cœleſtia nitatur & immortalia: quòd in tantum curæ fuerit ęterno numini, ut quoniam neq; naturæ uiribus, neq; philoſophiæ rationibus aſſe qui poterat, quod adfectabat, unicum filium ſuum huc delegarit, qui nouum doctrinæ genus inueheret. Deinde ſimul atq; totã Chriſti uitã ac decreta perdidicerit, cupiat ex ędita quapiam ſpecula uidere quod audiſſet. Vbi con-

conſpexerit cætera animãtia probè in ſuo genere degere, ac naturæ legibus duci, nihil appetere, niſi quod dictet natura, unum animal inter ſe cauponari, negociari, rixari, belligerari, non ne quoduis animal potius ſuſpicabitur hominem eſſe, de quo audierat, q̃ ipſum hominem? Deinde admonitus ab indice, qs ſit homo, iam diſpiciat, ubi ſit grex ille Chriſtianorum, qui cœleſtis illius doctoris inſtitutum ſequentes, angelicæ ciuitatis ſimulacrum exhibeant, an non ubiuis potius iudicabit habitare Chriſtianos, quàm in hiſce regionibus, in quibus tantam uideret opulẽtiam, luxum, libidinem, faſtum, tyrannidem, ambitionem, fraudem, inuidiam, iracundiam, diſcordiã, rixas, pugnas, bella, tumultus, breuiter omnium rerum, quas Chriſtus damnat, maiorem penè Lernam, q̃ apud ullos Turcas aut Saracenos? Vnde igitur peſtis hæc irrepſit in populum Chriſtianum? Nimirum paulatim hoc quoq; malum, ſicuti cętera pleraq;, receptum eſt ab incautis. Siquidẽ omne malum, aut ſenſim obrepit in hominum uitam, aut ſub prætextu boni ſeſe inſinuat. Primùm igitur irrepſit eruditio, uelut idonea res ad confutandos hæreticos, philoſopho-

rum, poëtarum, & oratorum literis armatos. Et initio quidem non ista discebãtur à Christianis, sed quibus fortè contigerãt ante Christum cognitum, hi quod iam partum erat, in pios conferebant usus. Eloquẽtia quoq; dissimulata magis spreta primùm, deinde palàm etiam comprobata. Proinde sub prætextu profligandi hęreticos subrepsit ambitiosa rixandi libido, quæ nõ mediocrẽ ecclesiæ pestem inuexit. Tandẽ huc processum est, ut in mediã theologiã totus receptus sit Aristoteles, & ita receptus, ut huius authoritas penè sanctior sit, q̃ Christi. Nam si quid ille dixit, parùm accommodum ad uitam nostram, licet interpretamẽto detorquere: cæterùm exploditur ilico, qui uel leuiter ausit Aristotelicis oraculis refragari. Ab hoc didicimus nõ esse perfectam hominis felicitatem, nisi corporis & fortunæ bona accesserint. Ab hoc didicimus non posse florere Rempub. in qua sint omnia communia. Huius omnia decreta cum Christi doctrina conamur adglutinare, hoc est, aquam flammis miscere. Recepimus nonnihil & à Cæsareis legibus, propter ęquitatem, quam præ se ferunt, & quô magis conuenirent, Euangelicam doctrinam ad eas,

quo-

quoad licuit detorsimus. At hæ permittunt uim ui repellere, suum quemq; ius persequi: probant negociationẽ, recipiunt usuram, modò moderatam, bellum ceu rem præclaram efferunt, modò iustum. Iustum autem esse definiunt, quod indictum sit à principe, quamlibet puero aut stulto. Deniq; tota iam Christi doctrina, dialecticorum, sophistarũ, mathematicorum, oratorum, poëtarum, philosophorum, & iureconsultorum ethnicorum literis ita cõtaminata est, ut maxima pars qui consumenda sit, priùs q̃ uacet arcanas scrutari literas, ad quas ut aliquando uenias, tot tamen opinionibus mũdanis infectus accedas oportet, ut Christi iam decreta aut prorsus offendant, aut ad illoꝝ dogmata torqueant. Atq; hæc res adeò non improbatur, ut nefas sit eum de Christianis loqui literis, qui se nugis Aristotelicis, uel potiùs sophisticis, totũ ad ambas usq;, q̃d aiunt, aures nõ expleuerit. Quasi uerò Christi doctrina sit eiusmodi, ut non uel maximè possit esse communis omnium, uel ullo pacto cum philosophorum sapientia consentiat. Post hęc recepimus honoris nonnihil, sed ultro delatum, quem deinde ueluti debitum cœpimus exigere. Id uisum

est non iniquum. Deinde recepimus opes, sed in pauperũ subsidium distribuendas, pòst etiam in usus nostros. Quid ni, posteaquam didicimus hunc esse charitatis ordinẽ, ut sibi quisq; sit proximus? Neq; deerat prætextus huic malo. Pium consulere liberis, æquum prospicere uenturæ senectuti. Postremò, cur reijciam opes inquiunt, si citra fraudem contingant? His gradibus paulatim eò uentũ est, ut is optimus habeatur, q sit locupletissimus: nec unquam maior fuerit honos diuitijs apd ethnicos, quàm hodie sit apud Christianos. Quid est enim omnino, uel sacrum uel prophanum, quod non harum geratur arbitrio? Videbatur his ornamentis conuenire nonnihil imperij. Neq; defuit, qui uoluerit cedere. Receptum est hoc quoque, sed grauatim & parcè. Demum ita, ut solo titulo contenti, rem libenter in alios reijcerẽt. Postremò paulatim huc itum est, ut episcopus sibi non uideatur episcopus, nisi mundanę aliquid ditionis acceſſerit. Parùm honestus abbas, si nusquam possit, quod possunt tyranni. Tandem perfricta facie pudorem omnem absterſimus, omnia uerecũdiæ repagula discussim⁹. Quidquid unquam apud ethnicos fuit auari

tię,

tiæ, quidquid ambitionis, quidquid luxus, quidquid fastus, quidquid tyrannidis, id imitamur, æquamus, uincimus. Et ut de leuioribus interim sileam, an unquam apud ethnicos bellatum est, aut æquè perpetuò, aut crudeliùs, quàm inter Christianos? Quas tempestates, quos bellorũ æstus, quoties discissa fœdera, quas strages his paucis annis conspeximus? Quæ natio, cum qua non conflictatũ est ferro? Et postea Turcam execramur, quasi possit ullum spectaculum esse Turcis iucundius, quàm quòd illis quotidie mutuis cladibus exhibemus ipsi. Insaniebat Xerxes, cùm ingentem illam multitudinem Græciã inuasurus educeret. An tibi constitisse animo uidetur, qui Atho monti minaces scripserit epistolas, ni cederet: qui mari Hellesponto, quòd parum commodũ fuisset nauigare uolenti, plagas iusserit infligi? Furebat Alexander ille magnus. Quis negat? Optabat semideus ille plureis mundos, quos deuinceret: tanta gloriæ febris iuuenilem obsederat animum. Et tamen isti, quos Seneca nõ dubitat furiosos appellare latrones, bellabant humaniùs nobis, bellabant maiore fide, nec similibus machinis, nec similibus artibus, nec tam

friuolis titulis, quàm bellamus Christiani. Si reuolues ethnicorum historias, quàm multos reperies duces, qui miris artibus bellum declinarint? Qui hostem officijs deuincire, armis deuincire maluerint? Quidam etiam cedere principatum priùs habuerunt, quàm experiri Martem. Nos pseudochristiani nihil non rapimus ad occasionem belli. Ethnici bellatores priusquam uenirent ad arma, ue niebant in colloquiũ. Apud Romanos omnibus tentatis mittebatur Fecialis cum patrepatrato, peragebantur ceremoniæ: nimirũ moræ quærebantur, quæ bellandi furorem temperarent. Atq; his quoq; peractis non licebat manum conserere cum hoste, nisi signo dato, qd' ita dabatur, ut miles nesciret, quando dandum esset. Ac ne hoc quidem dato, licebat cuiquam hostem uel lacessere, uel ferire: qui quanquam in castris uersaretur, tamẽ sacramento militari non esset obstrictus: adeò ut Cato senior filium in castris cessantem per literas admonuerit, ut Romam redeat: aut si mallet in exercitu manere, ueniã petat à duce, ut sibi cum hoste congredi liceat. Iam ut belli signum nõ faciebat potestatem pugnãdi, nisi sacramento adstrictis: ita signum, quo

cane-

canebatur receptui, omnibus adimebat occidendi facultatem: adeò ut à Cyro laudatus sit miles quidam, qui cùm sublato gladio hostem esset interfecturus, mox ut sensit cani receptui, dimiserit hostem. Hæc eò pertinebant, ne quis crederet sibi licere occidere hominem, nisi necessitas eò compelleret. Nunc inter Christianos uir fortis habet, si quis eius gentis, qui cum bellum est, hominem fortè obuium in nemore, non armatum, sed pecuniis onustum, nec bellum molientē, sed aliquò fugientem ne bellet, occiderit, occisum spoliauerit, spoliatum defoderit. Et milites uocantur, qui spe lucelli ultro prouolant ad pugnā, & in utraq; acie ceu gladiatores pugnant germani aduersus germanos, ad eiusdē principis ditionem pertinentes. Et hi cùm à talibus prælijs redeunt domum, ueluti milites narrant sua facinora, nec interim ut prædones ac patriæ perduelles, ac principis sui desertores puniuntur. Carnificem abominamur, quòd conductus ex legum authoritate nocentes damnatosq; iugulat: & qui relictis parentibus, uxoribus ac liberis ultro prócurrunt in bellum, non conducti, sed ambientes ut ad impiam lanienam conducātur, ubi do-

mum redierint, gratiosiores penè sunt, quàm si nusquam abfuissent. Ex facinorib⁹ aliquid nobilitatis putant accedere. Infamis est, qui uestem furto sustulit: qui & proficiscēs in militiam, & militās, & rediens à militia, tot immeritos spoliauit, inter probos ciues habet. Ex militibus autem, qui sese gessit immanissimè, dignus habetur, qui proximo bello ducem agat. Itaq; si ueteris militiæ disciplinam contempleris, Christianorum militia latrocinium ferè est, non militia. Quòd si monarchas Christianos cũ ethnicis conferas, quanto nostra causa deterior? Illi præter gloriam nihil ambiebant. Gaudebant florētiores reddere prouincias, quas bello subegissent: populos agrestes, sine literis, sine legibus, ritu ferarum uiuentes, ciuilibus artibus expoliebant. Regiones incultas extructis oppidis reddebant celebres. Parum tuta communiebant pontibus, littoribus, aggeribus, mille q̃ id genus commoditatibus uitam hominum adiuuabant, ut tum expedierit deuinci. Quin in medijs etiam bellis, quàm multa feruntur ab his uel dicta sapienter, uel gesta temperatè? Cæterùm quæ gerũtur in bellis Christianorum, & obscœniora sunt, & atrociora, q̃

ut

ut sint hîc commemoranda. Proinde quod in illis erat pessimum, id solùm exprimimus, imò superamus. Sed iam operæprecium fuerit audire, quibus modis hanc tantam insaniam nostram tueamur. Si nullo, inquiũt, pacto fas esset bellare, Deus non fuisset Iudæis author bellandi aduersùs hostes. Audio. Sed illud addas oportet, Iudęos uix unquam bella sse inter se, uerùm aduersùs alienigenas & impios. Nos Christiani pugnamus cũ Christianis. Illis diuersa religio, & non eadem numina, dissidij causa fuit: nos aut puerilis ira, aut pecuniæ fames, aut gloriæ sitis, sæpenumero fœda merces huc adducit. Illi iussu diuino pugnabãt, nobis animi perturbatio ferrum dat in manũ. Quanquam si usqueadeo placet exemplum Iudæorum, quin eadem opera præputium recidimus? quin immolamus pecudes, quin abstinemus à carne suilla? Cur non ducimus singuli plures uxores? Cùm hæc execremur, cur solùm bellãdi placet exemplum? Cur hîc deniq; literã sequimur occidentem? Iudæis permissum est bellum, sed ita quemadmodũ & repudium, nimirũ ob duritiã ingenij. At postquam Christus iussit recondi gladium, non decet pugna

re

re Christianos, nisi pulcherrimum illud præ lium, cum deterrimis hostibus ecclesiæ, cum studio pecuniæ, cum iracundia, cum ambitione, cum metu mortis. Hi sunt Philistęi nostri, hi Nabugodonosores, hi Moabitæ & Amonitę, cum quibus nullas nobis inducias esse oportet: assiduè conserendæ manus, donec excisis funditus hostibus, succedat tranquillitas. Quos nisi subegerimus, neq; cuiquã secum, neq; cum alio uera pax constare poterit. Solum hoc bellum, ueram gignit pacẽ. Hìc qui uicerit, cum nẽmine mortalium belligerari uelit. Nihil eñ me mouet, quòd quidam duos gladios interpretantur utranq; potestatem, ciuilem & ecclesiasticam, quã utrãque uindicant Petri successoribus, cùm Christus in hoc ipsum passus sit Petrum errare, ut postea quàm iussus esset gladium reconde re, nemini dubium relinqueretur, quin uetitum esset bellum, quod antea uidebatur esse licitum. Sed Petrus, inquiunt, pugnauit. Pugnauit, sed Iudæus adhuc, nondum accepto spiritu uerè Christiano. Pugnauit non pro suis titulis, aut prædijs, uti nos, ne pro sua quidem uita, sed pro uita magistri. Deniq; pugnauit is, qui paulò pòst abnegauit. Si placet

ex

exemplum pugnantis, placeat & inficiantis. Et cùm simplici laberetur adfectu, tamen reprehẽsus est. Alioqui, si probabat huiusmodi defensionem Christus, sicut quidam insulsissimè interpretantur, cur omnis illius & uita & doctrina, nihil aliud quàm tolerantiã prædicat? Cur suos baculo tantùm & pera armatos tyrannis obijcit? Si gladius ille, quem diuenditis omnibus iubet emi Christus, est moderata aduersùs persecutores defensio, quem admodum impiè quidam interpretantur, nõ tantùm ineruditè, cur hac nunquam usi sunt martyres? Hìc proferuntur illæ Rabinicæ definitiones, licet bellare militi conducto, non aliter, quàm licet lanioni ex arte sua parare uictum. Siquidem hic didicit laniare pecudes, ille homines: licet & ciuibus bellare, sed bello iusto. Iustum autem, quodcunq; quomodocunq; quibuscunq; indixit princeps qualiscunq;. Sacerdotibus & monachis uibrare ferrum non licet, interesse tamen & præesse bello licet. Nec fas est animo uindicandi bellare, sed studio iusticiæ. Cui autem sua causa non uidetur iusta? Christus absq; præsidio emisit suos, sed donec aderat ipse nõ egebãt præsidijs. Quum instaret tempus abitus, admonuit

monuit illos, ut peram pararent & gladium: peram aduersùs inopiam commeatus, gladium aduersùs hostes. Cæterùm illa: nolite esse soliciti de crastino: benefacite ijs, qui oderunt uos: atq; id genus alia, usq; ad tempus discessus ualent. Porrò, ſicubi ſimilia docet Paulus, aut Petrus, consilij sunt, non præcepti. Huiusmodi præclaris dogmatibus alimus principum cupiditates, ac porrigimus, quo ſibi blandiãtur. Et perinde quasi periculum ſit, nequãdo mundus conquiescat à bellis, ex Christi uerbis bellũ asserimus: & perinde quasi metuamus, ne relanguescat in congerendis opibus mortalium auaritia, Christum facimus authorem congerendę rei, huc detorquentes illius uerba, quasi præceperit, non permiserit ea, quæ priùs interdixerat. Mundus habebat ſuas lẽges, antequam exoriretur euangelium: puniebat, bellabat, congerebat in ærarium ac penum. Non idèo uenerat dominus, ut admoneret quid esset nobis permissum, hoc est, ad quam usq; lineam liceret à perfectione discedere, sed ad quem scopum esset pro uiribus enitendum. Hæreſeos ſuſpectus eſt, qui uehementer dehortatur à bello: & qui talibus commentis diluunt

uigo-

uigorem euãgelicæ doctrinæ, principibusq; suggerunt occasiones, per quas suis cupiditatibus blandiantur, orthodoxi sunt, & pietatis Christianæ doctores. Doctor uerè Christianus nunquam bellum probat, fortassis alicubi permittit, sed inuitus ac dolens. At dictat hoc, inquiunt, ius naturæ, legibus comprobatum est, consuetudine receptum, ut uim ui propellamus, & uitam quisq; suam tueamur, tum & pecuniam, quandoquidem animę loco est, ut inquit Hesiodus. Fateor. At his omnibus efficacior euangelica gratia dictat, ne remaledicamus maledicentibus: ut de malè merentibus bene mereamur, ut tollenti partem possessionum, totam concedamus: ut deprecemur pro his quoq;, qui mortem intentant. Ad Apostolos, inquiunt, ista pertinent: imò ad uniuersum Christi populum, & corpus, ut diximus, quod totum absolutum esse oportet, etiam si in dotibus aliud membrum alio sit insignius. Ad eos nihil pertinet doctrina Christi, qui non sperant præmium cum Christo. Illi pro pecunia, prædijsq;, & imperio digladientur, qui rident quod dixit Christus, beatos pauperes spiritu: hoc est, eos diuites, qui nihil in hoc mundo concupiscerẽt

diuitia

diuitiarum aut honorũ. Qui felicitatis ſummam in his collocarunt opibus, dimicãt pro tuenda uita, ſed iñ, qui non intelligunt hanc mortem eſſe potiùs, quàm uitam, & prĩs immortalitatem eſſe paratam. Iam obiĩciũt nobis Romanos aliquot pontifices, qui bellãdi fuerint authores ſimul & adiutores. Obiĩciunt decreta patrum, in quibus bellum approbari uidetur. Sunt quidem huiuſmodi quædam, ſed apud recentiores, Chriſti uigore iam relangueſcẽte: ſed ea perpauca, cùm ſint innumera apud probatæ ſanctitatis ſcriptores, quæ à bello deterreant. Cur hæc paucula nobis potiſſimum in mentem ueniunt? Cur à Chriſto ad homines deflectimus oculos, & incerta exempla, quàm indubitatum authorem ſequi malumus? Romani pontifices primùm homines fuerunt. Deinde fieri poteſt, ut fuerint malè perſuaſi, ut fuerint parũ attenti, deníque ut parum prudentes, aut prĩ. Quãquam ne in iſtis quidem comperies hoc genus bellorum, quo nos aſſiduè conflictamur, approbatum fuiſſe. Id quod clariſſimis euincerem argumẽtis, ni fugerem digreſſioni longiùs immorari. Laudauit diuus Bernardus bellatores, ſed ita laudauit, ut noſtrã

omnẽ

omnem damnet militiam. Quanquam cur me moueat potiùs Bernardi scriptũ, aut Thomæ disputatio, quàm Christi dogma, qui in totum uetuit, ne malo resistamus, nimirum eo more, quo uulgus resistit? Sed licet, inquiunt, unum maleficum adficere supplicio, licet igitur & ciuitatẽ ulcisci bello. Quid hoc loco responderi possit, prolixius est, quàm ut sit replicandum. Illud modò dicam, hoc interesse, quòd in iudicijs conuictus dat pœnas legibus: in bello utraq; pars alterã ream agit. Illic ad eum modò redit malum, qui læsit, exemplum ad omnes peruenit: hîc maxima pars malorum in eos redundat, qui minimè digni sunt malo, nempe ad agricolas, ad senes, ad matronas, ad pupillos, ad uirgines. Cæterùm si ex re omniũ pessima quidquam omnino commodi potest colligi, id totum ad sceleratissimos aliquot latrones deriuat: ad militem mercenarium, ad strenuos prædones, ad pauculos fortè duces, quorum artificio bellum in hoc ipsum fuerat excitatũ, et quibus cum nunquam melius agitur, quàm in summo Reipublicæ naufragio. Illic uni nõ parcitur, ut omnium consulatur saluti: hîc ut paucorum, aut unius fortassis uicem ulciscamur

mur, tot hominum milia nihil commeritorũ crudeliter adfligimus. Præstat paucorum ad missũm impunitũ omitti, quàm dum unum aut alterum in pœnam deposcimus incertã, nostros pariter & finitimos, & innocẽtes hostes, sic enim uocamus, in certum adducere discrimem. Satiùs est relinqui uulnus, cui sine graui totius corporis pernicie mederi nõ queas. Quòd si quis clamat iniquum, nõ dare pœnas q peccarit: respondeo multò esse iniquius, tot innocentum milia citra meritum in extremam uocari calamitatem. Quanquã his temporibus omne ferè bellum è titulis, nescio quibus, nasci uidemus, & ex principũ ambitiosis fœderib⁹, dum ut unum aliquod oppidulum suæ uindicent ditioni, totum imperium adducunt in extremum discrimen. Deinde hoc ipsum, quod tanto sanguine uindicatum est, rursum aut reuendunt, aut donant. Dixerit aliquis: Non uis igitur principes suum ius persequi? Scio nõ esse mei similium, de principum negocijs audaciùs disputare: quod ut tutum sit, prolixius tamen est, quàm ut huic loco conueniat. Tantùm illud dicam, si titulus qualiscunque, uidebitur idonea suscipiendi belli causa, in tantis rerum

huma-

humanarum uicibus, tantis commutationibus, nulli posse titulum deesse. Quæ gens nõ aliquando suis sedibus & pulsa fuit, & pepulit? Quoties aliunde demigratum est aliò? Quoties huc & illuc uel casu, uel ex fœdere translata imperia? Repetant scilicet hodie Patauini Troianũ solum, quòd Antenor olim fuerit Troianus: repetant Africam & Hispaniam Romani, quòd hæ prouinciæ quondã fuerint Romanorum. Ad hæc dominiũ uocamus, quod est administratio. Nõ est idem ius in homines natura liberos, & in pecudes. Hoc ipsum ius quod habes, populi consensus dedit. Eiusdem autem, ni fallor, est tollere, qui contulit. Vide porrò quàm non magna res agitur. Non illud decertatur, ut hæc, aut illa ciuitas bono principi pareat, potiùs q̃ tyranno seruiat, sed utrùm Ferdinandi censeatur titulo, an Sigismundi: Philippo censum pendat, an Lodouico. Hoc est illud egregium ius, ob quod uniuersus orbis bellis cẽdibusq; miscetur. Sed esto, ualeat quantumlibet hoc ius, nihil interfit inter priuatũ agrũ & ciuitatem: nihil inter pecudes tuo ære emptas, & homines non solùm ingenuos, uerumetiam Christianos: attamen prudẽtis est

expendere, num tanti sit, ut tam immensis tuorum malis persequaris. Si principis animum præstare non potes, at saltem negociatoris adhibe. Contemnit ille dispendium, si perspexerit uitari non posse, nisi grauiore iactura, & lucri loco ducit, quod paululo damno cum fortuna deciderit. Saltem illud priuatum exẽplum in Reipublicę periculo imiteris, de quo uulgò non infestiua fabula celebratur. Parùm conueniebat inter duos quosdam cognatos de re diuidenda. Cumq; neuter uellet alteri concedere, res eò spectabat ut iretur in ius, & iudicum sententijs controuersia finiretur. Adibantur aduocati, parabantur dicæ, res erat cum Iureconsultis. Aditi iudices, contestata lis, cœpit agi causa, hoc est, bellum susceptum est. Ibi alter maturè resipiscẽs aduersarium priuatim accersitum, his uerbis alloquitur: Principio parùm decorum est, ut quos natura copulauit, pecunia dissocier: deinde incertus est litis euentus, haud minùs q̃ belli. Suscipere nobis in manu est, finire non est. De centum aureis tota lis est. Eius summæ duplum in notarios, in promotores, in aduocatos, in Iurecõsultos, in iudices, in iudicum amicos expẽdetur, si legibus experiamur.

mur. His erit inſeruiendum, adulandũ, dandum: interim taceo curas, ambiendi curſitandiq; labores. Deniq;, ut maximè uincã, plus tamen eſt incommodi, q̃ commodi. Quin potiùs ipſi nobis ſapimus, quàm iſtis prædonibus: & in hos malè collocandam pecuniã, inter nos partimur? Concede dimidium de tuo, ego tantundem de meo concedam. Ita & amicitiam noſtram, alioqui perituram, lucrifaciemus: & tantam moleſtiam effugiemus. Quòd ſi recuſas quidquam concedere, ego uel uniuerſum negociũ tuo permitto arbitratui. Malo penes amicũ ſit hæc pecunia, q̃ penes inſatiabiles illos prędones. Abundè magnum fecero lucrum, ſi & famæ pepercero, & amicum ſeruauero, & tantum effugero moleſtiarum. Mouit aduerſariũ tum rei ueritas, tum cognati feſtiuitas. Rem inter ſe tranſegerunt, iratis aduocatis & iudicibus, quos coruos deluſerãt hiantes. Vel horum igitur prudentiam in re tanto periculoſiore ſtudeas imitari. Neq; ſolùm ſpectes quod uelis adſequi, ſed quanta bonarũ rerum iactura, quantis periculis, quantis calamitatibus ſis aſſecuturus, ut adſequaris. Quòd ſi ceu lancib⁹ hinc atq; hinc expenſis commodis & incommo-

dis, comperis, multò potiorem esse pacem iniquam, quàm bellum æquum, cur mauis aleam experiri? Quis enim nisi demens aureo piscetur hamo? Si uides multò plus impendij, quàm lucri, etiam si feliciter cadant omnia, nónne præstat aliqd de tuo iure concedere, quàm paululum commodi, tam innumeris mercari malis? Mâlo penes quemcunq; sit titulus, si mihi tanta Christiani sanguinis iactura uindicandus est. Ille quisquis est, multis iam annis possedit, adsueuit habenis, agnoscitur à suis, fungitur munere principis, & exorietur aliquis, qui ueteri quopiam titulo ex annalibus, aut obliteratis monumẽtis reperto, bene compositum rerum statum sursum ac deorsum miscеat. Præsertim cùm uideamus in rebus mortalium nihil diu suo loco consistere, sed ludibrio fortunæ, uelut æstu quodã adfluere ac defluere. Quorsum attinet tanto tumultu uindicare, quod mox quolibet casu sitaliò demigraturum? Postremò, si ista tam leuicula nõ possunt contẽnere Christiani, quorsum opus est protinus ad arma rapi? Tot habet mundus episcopos graues & eruditos, tot habet uenerabiles abbates, tot optimates grandæuos, & longo rerũ

usu

usu sapientes, tot concilia, tot senatus nõ frustrà à maioribus institutos. Cur non potiùs horum arbitrio, pueriles istiusmodi principum querimoniæ componuntur? Sed honestior est illorum oratio, qui prætexerunt Ecclesiæ defensionem: quasi uerò populus non sit Ecclesia, aut quasi tota Ecclesiæ dignitas in sacerdotum opibus sita sit, aut quasi bellis ac stragibus orta, prouecta constabilita sit Ecclesia, ac non potiùs sanguine, tolerantia, uitæq; contemptu. Mihi sanè ne hoc quidem adeò probandum uidetur, quod subinde bellum molimur in Turcas. Malè profectò agitur cum religione Christiana, si illius incolumitas à talibus pendet præsidijs. Neq; consentaneum est, his initijs bonos gigni Christianos. Quod ferro paratum est, ferro uicissim amittitur. Vis Turcas ad Christum adducere? Ne ostẽtemus opes, ne militum manum, ne uires. Videant in nobis non titulum tantùm, sed certas illas hominis Christiani notas, uitam innoxiam, studium benemerendi etiam de hostibus, inuictam omnium iniuriarum tolerantiam, pecuniæ contemptũ, gloriæ neglectum, uitam uilem: audiant cœlestem illam doctrinã, cum huiusmodi uita

congruentem. His armis optimè subiguntur Turcæ. Nunc sæpenumero mali pugnamus cum malis. Dicam aliud, & utinam audaciùs quàm ueriùs, si titulũ crucisq; tollas insigne, Turcæ cum Turcis digladiamur. Si militum manu constituta est religio, si ferro cõfirmata, si bellis aucta, tueamur eam eisdem præsidijs. Quòd si diuersis rationibus peracta sunt omnia, cur ueluti Christi præsidio diffisi, ad ethnicas confugimus suppetias? At cur non iugulem, inquiũt, eos, qui nos iugulãt? Itáne putas indignum, si quis sit te sceleratior? Cur non spolias spoliantem? Cur non conuiciaris conuicianti? Cur non odisti odio habentem? An Christianũ facinus esse putas, si trucidatis impijs quidem, ut nos arbitramur, sed tamen hominibus, pro quibus seruãdis mortuus est Christus, gratissimam diabolo uictimam mactes, bisq; delectes hostem, & quòd occiditur homo, & quòd occidit Christianus? Pleriq; dum uolunt uideri ualde Christiani, studeant Turcis quàm plurimũ facere mali: & quod facere non possunt, execrantes imprecantur, cum hoc ipso argumento, parùm Christianum liceat deprehendere. Ita nonnulli dum uideri uolunt uehemẽter orthodoxi

thodoxi, diris execrationibus deuouẽt, quos uocant hęreticos, ipsi fortassis digniores hoc uocabulo. Qui uult orthodoxus uideri, man suetis rationibus adnitatur, ut qui errat, resipiscat. In Turcas expuimus, & ita nobis uide mur pulchrè Christiani, fortassis abominabi liores apud Deum, quàm ipsi Turcæ. Quòd si ueteres euangelij præcones hoc animo fuissent in nos, quo nos sumus in Turcas, ubi nos nunc essemus, qui illorum tolerantia su mus Christiani? Succurre Turcis, ex impijs, si potes, reddito pios: si non potes, opta: & agnoscam mentem Christianam. Tam mul ti sunt in orbe, monachorum mendicato ui uentium ordines, qui se columnas Ecclesiæ uideri uolunt: ex tot millibus quotusquisq; est, qui pro religione Christi propaganda ui tam suam uilem habeat? Sed spes non est, in quiunt. Imò summa spes esset, si mores adfer rent maiorum suorum, Dominici & Franci sci: in quibus uiris summũ mundi huius con temptum fuisse arbitror: ne qd interim com memorem de moribus apostolicis. Ne mira cula quidem nos destitutura sint, siquidem id postularet Christi gloria. Nunc qui se Petri principis Ecclesiæ, qui cæterorum apostolo

rum uicarios ac successores gloriantur, plerunque totam fiduciam in humanis præsidijs constituunt. Illi uerò rigidi ueræ religionis professores, uersantur in urbibus opulentis, ab luxu perditis: ubi citius corrumpuntur ipsi, quàm alios reddãt emendatiores: & ubi est affatim pastorum, qui populum doceant, ac sacerdotum, qui laudes Deo canant. Versantur in aulis principum, ubi quid agãt, in præsentia non referam. Vtinam ne quid peius, quàm canis in balneo. Inhiant testamẽtis, uenantur lucrum, subseruiunt principum tyrannidi: & ne nihil agere uideantur, notãt articulos erroneos, suspectos, scandalosos, irreuerentiales, hæreticos, schismaticos. Malunt enim ipsi regnare malo populi Christiani, quàm suo periculo Christi regnum propagare. Atqui quos nos uocamus Turcas, magna ex parte semichristiani sunt, & fortassis propiores uero Christianismo, quàm plerique nostrum sunt. Quot enim sunt apud nos, qui nec resurrectionem corporum credunt, nec animam credunt corpori superstitem? Et interim per istos sæuitur in hæreticulos, qui dubitant, an Romanus pontifex habeat ius in animas igne purgatorio cruciatas.

Eiçiamus

Eiſciamus primùm trabē ex oculo noſtro, mox eiecturi feſtucā ex oculo fratris. Euangelicæ fidei finis, ſunt mores Chriſto digni. Quur urgemus ea, quæ nihil ad mores faciunt, his neglectis, quibus ceu columnis ſubductis, tota fides ſemel collabitur? Poſtremò quis credet nobis prætexentibus crucem, & euangelij titulum, ſi tota uita nihil aliud undique præ ſe fert, quàm mundū? Ad hæc Chriſtus, in quo nihil erat imperfectum, tamen linum fumigans nō extinguit, & baculum cōfractum nō comminuit, iuxta prophetiā, ſed quod imperfectum eſt, fouet ac tolerat, donec proficiat in melius. Nos totam Aſiam & Africam ferro paramus extinguere, cùm plurimi ſint illic uel Chriſtiani, uel ſemichriſtiani? Quur nō illos agnoſcimus potiùs, hos fouemus, & clementer emendamus. Quòd ſi ſtudemus imperio propagando, ſi inhiamus illorum opibus, cur rei tam prophanæ Chriſti titulum prætexímus? Quid quòd interim dum humanis opibus tantùm adorimur illos, hoc ipſum quod ſupereſt, nobis ex orbe totum in manifeſtum diſcrimē adducimus? Quātulus orbis angulus nobis reliquus eſt? Quantam barbarorum multitudinem quàm

pauci

pauci prouocamus? At dicet quispiam: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Istuc meritò dicet, qui solius Dei præsidijs fretus est. Cæterùm his, qui diuersis nituntur præsidijs, qd dicit imperator noster Christus Iesus? Qui gladio percutit, gladio peribit. Si uolumus Christo uincere, accingamur gladio sermonis euangelici: assumamus galeam salutis, & scutum fidei: reliquam' que uerè apostolicam panopliã. Ita fiet, ut tum maximè uincamus, cùm uincemur. Sed finge nobis feliciter cadere Martis aleam, quis unquam uidit ferro, cæde, incendijs, prædationibus reddi uerè Christianos? Minus mali est palàm esse Turcam, aut Iudæum, quàm hypocritam Christianum. Sed depellenda est illorum uis à capitibus nostris. Cur igitur illorum uim, mutuis dissidijs in nostra capita prouocamus? Certè concordes nos non facilè impetent, & nostris officijs citius ad fidem conuertentur, si seruentur, quàm si perimantur. Malo Turcam ingenuum, quàm fucatum Christianũ. Nostrum est seminare semen euangelicum, Christus dabit prouentum. Messis est copiosa, si non desint operarij. Et tamen ut ex Turcis reddamus aliquot malè ficteq; Christianos,

nos, quot ex bonis Christianis reddemus malos, ex malis peiores? Quid enim aliud gignet tantus belli tumultus? Nolim ẽ hîc suspicari, quod tamen heu nimium sæpè cõpertum est, prætexi belli Turcici rumorem: ut hoc titulo spolietur populus Christianus, ut omnibus modis pressus fractusq; seruiliùs ferat principum utriusq; generis tyrannidem. Non hæc dixerim, quòd in totum damnem expeditionem in Turcas, si nos ultro impetant: sed ut bellum, cui Christum autorem prætexamus, animis Christianis Christiq; præsidijs geramus. Sentiant sese ad salutem inuitari, non peti ad prædã. Adferamus ad illos mores euangelio dignos, si lingua deerit, quibus cum illis congrediamur. Magnam habebit eloquentiam & ipsa uita. Adferamus fidei professionẽ simplicem, uereq; apostolicam: non tot articulis humanitùs additis oneratam. Ea potissimùm exigamus ab illis, quæ nobis apertè sacris uoluminibus & Apostolorum literis tradita sunt. In paucis facilior erit consensus, & faciliùs constabit cõcordia, si in plerisq; liberum erit in suo cuiq; sensu abundare, tantùm ut absit contentio. Verùm hisce de rebus omnibus aliquan-

to copiosiùs audietur, cùm êdemus librum, cui titulum fecimus, Antipolemo, quẽ olim Romæ uitam agentes, ad Iulium secundum Romanum pontificẽ conscripsimus: eo tempore, quo de bello in Venetos suscipiendo consultabatur. Illud deplorandum potiùs, q̃ refellendum. Si quis exactiùs rem excutiat, reperiet omnia ferè Christianorum bella, uel è stultitia, uel è malicia nasci. Nonnulli iuuenes, & rerum imperiti, maiorũ malis exemplis, historiarum, quas de stultis prodidêre stulti monumentis, ad hoc inflammati: dehinc instigantibus adulatorum hortatibus, extimulantibus Iureconsultis ac theologis, assentantibus aut conniuẽtibus episcopis, fortassis & exigẽtibus, temerè magis, quàm malicioſè bellum suscipiunt: & tanto totius orbis malo discunt, bellum rem esse modis omnibus fugiendam. Alios occultum odiũ, alios ambitio, alios animi feritas in bellum impellit. Quandoquidem ne nostra quidem Ilias quidquam, præterquam stultorum, regum, & populorũ continet æstus. Sunt qui non aliam ob causam bellum mouent, nisi ut hac uia faciliùs in suos tyrannidem exerceant. Nam pacis temporibus, senatus authoritas

tas, magistratuũ dignitas, legum uigor non-nihil obstant, quô minùs liceat principi qd-quid libet. At bello susceptο, iam omnis rerũ summa ad paucorũ libidinem deuoluta est. Euehuntur, quibus bene uult princeps: deiciuntur, quibus infensus est. Exigitur pecuniæ quantũ libet. Quid multis? Tum demũ sentiunt se uerè monarchas esse. Colludunt interim duces, donec infelicẽ populum usq; ad radicem arroserint. Hoc animo qui sint, an eas putas grauatim arrepturos, oblatam quamcunq; belli occasionem? Deinde morbum nostrum honestis titulis præteximus. Inhio Turcarum opibus, & obtendo religionis defensionem: obsequor odio meo, & prætexo ius Ecclesiæ. Seruio ambitioni, sequor iram, rapit animus ferox & impotens, & ruptum fœdus, uiolatam amicitiam, omissum nescio quid de sponsalium legibus, aut simile quidpiam causor. Iam dictu mirum est, q̃ non adsequantur hoc ipsum, quod adfectãt: & dum stultè uitant hoc uel illud malum, in aliud aut etiam in idem multò grauiùs incidunt. Etenim si gloria ducuntur, non paulò magnificẽtius est seruare, quàm perdere: multò pulchrius extruere ciuitatem, quàm demoliri.

liri. Deinde ut prosperrimo Marte res geratur, quantula gloriæ portio redibit ad principem, unde magnam partem sibi uindicat populus, cuius pecunia res confecta est, maiorem miles exterus, ut plerunq; fit, & conductitius, nonnullam duces, maximam fortuna, quæ cùm in omni negocio, tum in bello ualet plurimum. Si sublimitas animi stimulat in bellum, uide quæso, quàm non rectè tibi consulis ista ratione. Dum uni non uis cedere, puta uicino principi, fortassis adfini, forsitan olim bene merito, quantò abiectiùs te supplicem facis, dum suppetias imploras barbarorum: & quod est indignius, omniū facinorum genere contaminatorum hominum, si modò homines oportet uocare huiusmodi beluas? Dum incestis, homicidis, prædonibus (per hos enim potissimùm bellum geritur) polliceris, adularis, palparis: & dum inæqualem feroculus esse studes, infimæ mortalium feci teipsum cogeris submittere. Dumq; paras qualemcunq; finitimum suis sedibus deiicere, pestilentissimam nebulonum colluuiē in tuas sedes admittas oportet. Non fidis adfini, & armatæ multitudini credis teipsum? Quantò tutiorē poterat reddere

dere concordia? Si lucro traheris, calculos adhibe. Placeat bellum, nisi uideris non æstimandis dispendijs compendium peti, non solùm longè minùs, sed etiam incertũ. At consulis Reipublicæ, imò nõ alia uia citius ac perditius pereunt Respublicæ, quàm bello. Priusquam incipias, iam plus nocuisti patriæ, q̃ sis profuturus uictor. Exhauris ciuium opes, luctu funestas domos, omnia latronibus, furibus, stupratoribus imples. Has enim reliquias parit bellum. Et cùm antè licuisset uniuersa frui Gallia, à multis regionib⁹ teipsum excludis. Si uerè tuos amas, quin tibi illa ueniunt in mentem? Cur ego hanc tam floridã iuuentutem omnibus malis obijciam? Cur tot matronas suis maritis, tot liberos suis orbabo parentibus? Cur titulum, nescio quem, & anceps ius meorum adseram sanguine? Vidimus, cùm prætextu defendendæ Ecclesiæ bellum esset susceptum, crebris decimationibus sic expilari sacerdotes, ut nullus hostis potuerit hostilius. Itaq; dum stultè uitamus foueam, ultro nosipsos in foueam præcipitamus. Dum leuem iniuriam pati non possumus, ipsi nos summis adficimus cõtumelijs. Dum pudet morigerum uideri principi, sup

plices reddimur infimis. Dum libertatem impudenter adfectamus, grauissimæ seruituti nosmet irretimus. Dum paululum uenamur lucri, damnis immensis nos ac nostros adficimus. Prudentis erat hæc secum expendere: Christiani, si modò uerè Christianus sit, rem tam tartaream, tam alienam à uita simul & doctrina Christi, modis omnibus fugere, deprecari, propellere. Quod si uitari nullo pacto potest ob multorũ improbitatem, ubi nihil intentatum reliqueris, postea quàm pacis studio omnẽ moueris lapidem, tum proximum erit dare operam, ut mala res per malos geratur, & quàm minimo dispendio humani sanguinis conficiatur. Nam si damus operam, ut re simus id, quod audimus, hoc est, nihil admiremur, nihil ambiamus, quod est huius mundi, si tantũ hoc agimus, ut hinc quàm maximè expediti euolemus, si toto nisu rapimur ad cœlestia: si fœlicitatis nostrę summam in uno Christo collocamus: si qdquid est uerè bonum, uerè splendidum, uerè iucundum in hoc uno situm esse credimus: si persuasum habemus hominem pium à nemine lædi posse: si perpendimus quàm inania sint, quàm fugacia, rerum humanarum

ludibria

ludibria: si penitus intueamur, quàm ardua res sit hominem quodammodo transformari in Deum, & hîc ita meditatione quadã infatigabili repurgari ab huius mundi contagijs, ut mox abiecto corporis exuuio, in angelorum demigret consortium: in summa, si præstamus hæc tria, sine quibus nemo Christiani nomen promeretur: innocentiam, ut purissimus à uicijs: charitatem, ut bene mereamur quantum fieri potest de omnibus: patientiam, ut malefacientes toleremus, & si licet, iniuriam beneficijs obruamus: quæso quod bellum possit inter nos de nugis existere? Si fabula est Christus, cur non explodimus ingenuè? Cur illius titulo gloriamur? Sin is uerè est, & uia, & ueritas, & uita, cur omnes nostræ rationes ab hoc exemplari tam topere dissident? Si Christum authorem agnoscimus, qui charitas est: & nihil docuit, nihil tradidit, nisi charitatem & pacem: agedũ non titulis & insignibus, sed factis hunc exprimamus & uita. Amplectamur pacis studium, ut Christus uicissim agnoscat suos. In hoc pontifices, in hoc principes, in hoc ciuitates, consilia sua conferant. Satis hactenus fusum Christiani sanguinis, Satis uoluptatũ

exhibuimus Christiani nominis hostibus. Quòd si quid suo more tumultuatur populus, à principibus cohibeatur, quos hoc oportet esse in Republica, quod oculus est in corpore, quod in animo ratio. Rursum si qd tuirbant principes, certè pontificum est, sua prudentia, suaq; authoritate, rerum motus componere. Vel tandem satiati bellis tam diutinis, pacis tãgamur desiderio. Trahit huc ipsa calamitas, efflagitat orbis defessus malis, inuitat Christus, adhortatur pontifex maximus Leo, nominis huius decimus, qui uerè pacifici Solomonis Iesu Christi uices gerit in terris, agnus ad nocendum, leo rugiens aduersùs ea, quæ sunt aduersa pietati, cuius omnia uota, omnia consilia, omnes conatus huc tendunt, ut quos communis copulat fides, eos & communis iungat concordia. Hoc molitur, ut Ecclesia, non opibus aut imperio, sed suis ac propriis dotibus efflorescat. Pulcherrimum profectò munus, ac prorsum tali dignum heroe, clarissimis illis Medicibus prognato, quorum ciuili prudentia factum est, ut inclyta Florentinorum ciuitas diutina pace fuerit florentissima: quorũ domus omniũ bonarum disciplinarum fuit præsidium. Ipse

placidũ

placidum ac mite sortitus ingenium, à teneris, ut aiunt, unguiculis, humanis literis, ac mansuetioribus musis est initiatus: inter eruditissimos uiros, ac uelut in musarũ gremio educatus, uitam ac famam inculpatã, & ne in liberrima quidẽ ciuitate Roma, ulla unquam siniſtri rumoris aspersam macula, ad summũ pontificium atttulit. Ad quod hic nõ ingessit sese, sed nihil minùs quàm hoc expectans, ueluti diuina uoce nominatim ascitus est, q̃ rebus humanis longa bellorum tempestate fessis succurreret. Sit penes Iulium belli gloria: habeat ille sibi suas uictorias: habeat sibi magnificos triumphos. Quæ quàm deceant Christianum Pontificem, haud est mei similium pronunciare. Dicam hoc modo: Gloriam illius, qualiscunq; fuit, cum plurimorũ exitio doloreq; coniunctam fuisse. Longè plus ueræ gloriæ pariet Leoni nostro pax orbi reddita, quàm Iulio tot pepererunt bella per uniuersum orbem, uel excitata fortiter, uel gesta feliciter. Sed longiùs, q̃ par est, huic digressioni uidebimur immorati his, qui de prouerbijs, quàm de pace belloq; malunt audire.

DES. ERASMVS ROT.

CLARISS. LL. DOCTORI

Ioanni Rinco S. D.



Literæ tuæ uir ornatissime, quibus & pro tua prudentia sagaciter diuinas imminentes Germaniæ calamitates, & eas piè deprecaris, permouerunt animũ meũ, ut ad omnipotentem illum pacificatorem, et ut Paulus uocat μεσίτην, precationem conscriberẽ, qua simul omnes Dominum, iratũ quidem ut uidetur, sed exorabilem appellemus. De non mouenda Camarina, amanter tu quidem ac fideliter, sed serò mones. Et merebatur hoc quorundam scurrilis improbitas, nec deerant amici, qui per literas huc hortarentur. Bene uale amicorum candidissime. Friburgi V. die Martij. Anno à Christo nato,

M. D. XXXII.

PRECATIO AD DOMINVM IESVM CHRISTVM

pro pace Ecclesiæ.



Omine Iesu Christe, qui pro tua omnipotentia condidisti creaturam omnem uisibilem pariter & inuisibilem: pro tua diuina sapiẽtia ordine pulcherrimo gubernas ac dirigis uniuersa, pro tua ineffabili bonitate seruas, tueris, ac uegetas omnia: pro tua immensa misericordia restituis luxata, reformas collapsa, mortua reuiuificas: dignare quæsumus tandem ad unicè dilectã tibi sponsam Ecclesiam flectere uultum tuum, sed illum placidum ac propitium, quo serenas omnia, quæ in cœlis, quæ in terris, quæ supra cœlos, infraq; terras sunt, flectere digneris oculos illos mites ac misericordes, qbus Petrum Ecclesię tuæ summum pastorem intuitus es, ac mox resipuit, quibus turbam palantem adspexisti, & misericordia cõmotus es, quòd ob inopiam pastoris errarẽt, uelut oues dissipatæ disiectæq;. Vides pastor bone, quã uaria lupoꝝ genera irruperint in caulas tuas,

quorum quisq; clamat, Hîc est Christus, hîc est Christus, ut in errorem pertrahant, si fieri possit, etiam perfecti. Vides quibus uentis, quibus undis, quibus procellis iactetur tua nauicula, extra quam nulli uis esse salutem. Quid superest, nisi ut illa demersa fluctibus, pereamus omnes? Hanc tempestatem accer siuerunt nobis scelera nostra: agnoscimus & confitemur. Agnoscimus tuam iusticiam, & nostram iniusticiam deploramus: sed appel lamus tuam misericordiam, quæ iuxta pro pheticum psalmũ, superat omnia opera tua. Multum iam pœnarum dedimus, tot bellis attriti, tot exactionibus exhausti, tot morbo rum ac pestilentiarum generibus adflicti, tot inundationibus concussi, tot portẽtis è cœlo minantibus territi, nec inter hæc mala subin de noua lassescentibus, ullus undecunq; por tus apparet, sed atrociora uidentur impendé re. Non querimur de seueritate tua mitissime seruator: sed agnoscimus hîc quoq; tuam mi sericordiam, longè siquidem atrociora me rueramus. Verùm noli, clementissime Iesu, perpendere quid nostris meritis debeatur: sed quid tuam deceat misericordiã, sine qua nec angeli possent subsistere, nedum nos lu-

tea

tea uasçula. Miserere nostri redemptor exorabilis, non quòd ipsi simus digni, sed hanc sancto nomini tuo da gloriam. Ne permittas, ut Iudæi, Turcæ ac cæteri, qui uel nõ nouerunt te, uel inuident tuæ gloriæ, perpetuò glorientur de nobis, dicantq; Vbi est Deus eorũ, ubi redemptor, ubi seruator, ubi sponsus, quem iactant? Hæc opprobria in te recidunt, dum ex nostris malis çstimatur tua bonitas: desertos credunt, quos non intelligunt emendari. Olim cùm in naui dormires, & exorta tempestas minaretur omnibus exitium, ad inclamationem paucorum discipulorum experrectus es, & mox ad uocem tuam omnipotentem subsedêre fluctus, consiluêre uenti, tumultus subitò uersus est in tranquillitatem magnam. Agnouerunt elementa muta conditoris imperium. Nunc in hac longè grauiore tempestate, qua periclitantur non paucorum corpora, sed innumerabiles animæ, ad totius Ecclesiæ tuæ periclitantis clamorem, rogamus ut expergiscare. Tot hominum milia clamant, Domine serua nos, perimus. Tempestas uicit humanam industriam, imò uidemus opitulari uolentium conatus in diuersum cedere. Tua uoce opus est

domine Iesu. Tantùm dic uerbo, Consilescet tempestas, & protinus illucescet optata tranquillitas. Passurus eras tot sceleratissimorũ hominum milibus, si in Sodomis reperti fuissent decem iusti. Nunc tot sunt hominũ milia, qui diligunt nominis tui gloriam, qui suspirant decorem domus tuæ, an non ad horum preces iram tuam remittes, ac ueterũ misericordiarum tuarũ recordaberis? Non cœlesti tuo artificio nostram stultitiam uertes in tuam gloriam? Non improborum mala uertes in Ecclesiæ tuæ bonum? Solet enim tua misericordia tum maximè adesse, cùm rebus maximè deploratis, hominum nec uires, nec prudẽtia possunt opitulari. Tu solus res quãlibet discordes redigis in concordiam, unicus pacis & author & tutor. Tu Chaos illud uetus, in quo nullo ordine nulloq; decore confusa iacebant discordia rerum semina, digessisti: & admirabili ordine, quę natura pugnant, æterno fœdere sociasti. At quanto turpius est chaos, ubi nulla est charitas, nulla fides, nulla fœdera, nulla legum, nulla præpositorum reuerentia, nullus dogmatum consensus? sed uelut in dissono choro suã quisq; canit cantionem? Inter cœlestes orbes nullũ

est

est dissidium : elementa suum quæq; locum seruant, suis quæq; funguntur muneribus. Et sponsam tuam, in cuius gratiam condita sunt uniuersa, sines perpetuis dissidijs ire pessum? Patieris, ut impij spiritus discordiarũ authores, in tuo regno tyrannidem exerceant impunè? Patieris illum fortem, quem semel expugnatum deturbasti, rursus occupare tua castra? Quum mortalis inter homines uersabaris homo, ad tuam uocem aufugiebant dæmonia. Emitte quæsumus domine spiritum tuum, qui dispellat à pectoribus omnium tuum adorabile nomen profitentium, spiritus impios, luxus, auaritiæ, ambitionis, libidinis, uindictæ, discordiæq; magistros, &, ut propheticis uerbis utamur: Cor mundum Deus & rex noster crea in nobis, & spiritũ sanctũ innoua in uisceribus nostris: spiritum sanctũ tuum ne auferas à nobis. Redde nobis lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma sponsam tuam, ac sponsæ tuæ pastores. Per hunc spiritum terrena cœlestibus conciliasti, per hunc tot linguas, tot nationes, tot hominum tam uarias formas in unum Ecclesię corpus compegisti, quod tibi capiti suo per eundem spiritum cohæret. Eum si digna

beris

beris in omnium cordibus innouare, cessabunt & illæ calamitates externę: aut si minùs cessabunt, certè te diligentibus cedent in lucrum pietatis. Digere hoc chaos domine Iesu, expandat se spiritus tuus super has aquas malè fluctuantium dogmatum. Et quoniam spiritus tuus, qui iuxta Prophetæ sermonem continet omnia, scientiam habet etiam uocis, fac ut quemadmodum cunctis in tua domo uersantibus, una lux est, unum baptisma, unus Deus, una spes, unus spiritus: ita sit & uox una, catholicam ueritatem profitētium. Ascendens in cœlum triumphantium more sparsisti ex alto preciosa missilia, dedisti dona in hominibus, dilargitus es uaria spiritus tui munera. Rursum ex alto renoua ueterem munificentiam tuam, da Ecclesiæ tuæ labascenti, quod dedisti nascenti. Da principibus timorē tui, ut sic Rempub. administrent, tanquam breui tibi regum rēgi rationem de singulis reddituri: da throno tuo semper adsistentem sapientiam, ut quid sit optimum factu perspiciant animo, factis q; persequantur. Da pastoribus, quibus tuas uices delegare dignatus es, prophetiæ donum, ut arcanas scripturas non ex humano sensu, sed ex tuo adflatu

flatu interpretentur. Da charitatem triplicē, quam à Petro ſtipulatus es, ouium curam illi demandaturus. Da ſacerdotibus tuis ſobrietatis & caſtitatis amorem. Da populo tuo bonam uoluntatem obtemperandi præceptis tuis: ac promptitudinem obſequendi iis, per quos iuxta tuum animum uoluiſti res humanas adminiſtrari. Ita fiet, ut ſi principes tuo munere te digna imperent, ſi paſtores te digna doceant, populus bene imperantibus ac pia docentibus obtemperet, Eccleſiæ ſimul cum ordine redeat priſtina tum dignitas, tū tranquillitas, ad tui nominis gloriā. Niniuitis interneciōi deſtinatis, ſimul ac ad pœnitē tiam conuerſi ſunt, pepercisti: & ſponſam tuā pedibus tuis aduolutam adſpernaberis? Quę pro ſacco habet ſuſpiria, pro cinere lachrymas. Pollicitus es ueniā ad te conuerſis: ſed hoc ipſum tui muneris eſt, ut quis ad te toto pectore conuertatur, ut omnia bona noſtra redundent in tuam gloriam. Conditor es, inſtaura plaſma tuum. Redemptor es, ſerua mercem tuā. Seruator es, ne ſinas eos interire qui toti pendent ex te. Dominus es, adſere poſſeſſionem tuam. Caput es, ſubueni membris tuis. Rex es, da legum tuarum reuerentiam.

tiam. Princeps es pacis, inspira nobis charitatem mutuam. Deus es, miserere supplicũ. Esto, iuxta Pauli dictum, omnia in omnibus: ut uniuersus Ecclesiæ tuæ chorus, concordibus animis, & consonantibus uocibus pro impetrata misericordia gratias agat patri, & filio, & spiritui sancto, qui ad absolutũ concordiæ exemplum, personarum proprietate distincti estis, natura unum, quibus laus & gloria in æternum

Amen.

Lett. 11324-1963

Johannes Lehman et
possessor huius libri

73883

752853